Pistorius Joachim

PACTA

Induciarum
Viginti Sexennalium
Inter
Incluta Regna
POLONIÆ, SVECIÆq́;,
Anno 1635.

In
Prußiâ,
Divino auſpicio feliciter
paracta;

Atq; Elbingenſium
typis Bodenhauſianis
vulgata.

NOs Serenissimi ac Potentissimi Principis ac Dni, Domini VLADISLAI QVARTI, Dei Gratia, Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithvaniæ, &c. &c. &c. atq; inclytæ Reipublicæ Polonæ Commissarij, Iacobus Zadzik, Episcopus Culmensis & Pomesaniæ, Nominatus Cracoviensis, Dux Severiensis, Generalis Præpositus Miechoviensis, Supremus Regni Cancellarius; Raphaël Comes de Lesno, Palatinus Belzensis, Rubieszovviensis, &c. Præfectus; Magnus Ernestus Dönhoff, Castellanus Parnaviensis, Derpatensis, Oberpaliensis Præfectus; Remigius de Otok Zalesky, Referendarius Regni; Iacobus á Sobieszin Sobiesky, Incisor Regni, Crasnostaviensis, Iavoroviensis Præfectus:

Notum testatumq; facimus universis, quorum interest; quod cum induciæ sexennales inter Serenissimos ac Potentissimos Reges ac Regna Poloniæ ac Sveciæ, eo inter alia fine Anno 1629. sancitæ essent, ut interea vel de pace perpetuâ, vel inducijs longioribus, interveniente mediatione Srmorum ac Potentiss: Galliæ & Angliæ Regum aliorumq; Principum, loco & tempore, de quibus per Smum Electorem Brandenburgic: &c. Vnum, ex ijsdem Mediatoribus, inter partes conventum esset, ageretur. Inde postquam á Suâ Serenitate

per

per ejusdem Legatos Illmum Principem Sigismundum, Marchionem Brandeburgicum, & illustres ac Magnificos Andream á Kreutzen, Consiliarium Ducalis Prussiæ, Regentem & præfectum Provincialem; Ioannem Georgium á Sauken Consiliarium Regentem & Cancellarium; Bernhardum á Königseck, Consiliarium Provincialem; Georgium á Rauscke, Consiliarium Iudicij aulici, & Petrum Bergkmannum Consiliarium, invitati Stumsdorffium cum Illmis, Serenissimæ Reginæ, Regniq; Sveciæ Commissarijs, Dn. Petro Brahe, Comite in Wisingsburg, Lib. B. in Ridboholm & Lindholmen, Regni Sveciæ Senatore, Legifer VVesmanniæ, Montanorum, & Dalecarlorum: Hermanno VVrangelio, Regni Sveciæ Senatore, & Exercituum Campimarschallo, Hæreditario in Lerichholm, Skokcloster & Overpalen, Equite Aurato; Achatio Axelij, Regni Sueciæ Senatore & Legifero Nericiæ, Hæreditario in Göxholm &c. Ioanne Oxenstierna Axelij, Sermæ Reginæ Consiliario secretiore, Lib. Barone in Kimitho, Dno. in Fiholm &c. & Ioanne Nicodemi, Sermæ Reginæ Secretario, & ad Exercitum Prusicum Commissario Grali, convenissemus, ac interventu inprimis Serenisſ: & Potentisſ: Principis Domini Ludovici XIII. Franciæ & Navarræ Regis Christianissimi per

Illuſtriſſ: Dominum Claudium de Meſmes, Equitem Auratum, Dnum de Auaux, Comitem Conſiſtorianum, & S. R. M. per Septentrionem extraordinarium Legatum; ac Ser: & Potent: Principis Domini, Dni Caroli Magnæ Britanuiæ &c. Regis, Fidei defenſoris, per Illmum. Dnum. Georgium Douglaſſium, Equitem Auratum, S. R. M. Legatum, nec non Celſorum, ac Præpotentium, D. D. Ordinum Belgij per Illuſtres ac Magcos Legatos, Dnum Rochum van de Honaert primum in Supremâ Hollandiæ, Zelandiæ, Weſtphriſiæq; Curiâ Conſiliarium, Andream Bicher Conſulem Civitatis Amſtelredamenſis & Ioachimum Andreæ in ſuprema Friſiæ Curiâ Conſiliarium, pacis Tractatum auſpicati eſſemus ac diu multumq; agitaſſemus; eò tardem divino Numine favente, prædictisq; Illmis Legatis indefeſſam operam huic negotio impendentibus, rem deduximus, ut cum præ memoratis, Srmæ Reginæ Regniq; Sveciæ Commiſſarijs de Inducijs, ad modum ſequentem convenerimus, ſtatuerimus & concluſerimus.

I.

Sint Induciæ ex hoc die inter Sereniſs: Principem ac Dominum Dn. VLADISLAVM IV. Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithvaniæ, &c. &c. &c. Suæ Mtis. Succeſſores Reges Poloniæ,

niæ, & Magnos Duces Lithvaniæ Regnumq; Poloniæ, & Magnum Ducatū Lithvaniæ, ex vna; & inter Srmam Principem ac Dnam, Dnam CHRISTINAM, Svecorum Gothorum Vandalorumq; designatam Reginam, Magnam Principem Finlandiæ. &c. &c. &c. & suæ Majest: Successores Reges Svecorum, Regnumq; Sveciæ ex alterâ parte, annis sequentibus viginti sex à datâ præsentium computando, usq; ad primam julij styl. vet. anni millesimi sexcentesimi sexagesimi primi.

II.

Sit omnium utrinq; ante actorum amnestia, inprimis S. R. M. ejusq; Successores Reges Regnumq; Poloniæ abstineant durantibus inducijs omni hostilitate adversus Reginam Regnumq; Sueciæ, eisq; mediatè vel immediatè subjectas provincias, castra, civitates ac territoria, neq; quicquam per se vel per alios moliantur aut tentent tentarive faciant in horum detrimentum aut præjudicium.

Ad eumdem modum Srma Regina, ejusq; Successores Reges Regnumq; Sveciæ abstineant durantibus inducijs omni hostilitate adversus Regem Regnumq; Poloniæ & magnum Ducatum Lithvaniæ, eisq; mediatè vel immediatè subjectas provincias, castra, civitates ac territoria, neq; quicquam per se vel per alios moliantur aut tentent, ten-

tentarive faciant in horum detrimentum aut præjudicium.

III.

Sacræ Regiæ Majest: ac Reipub: Polonæ, Srma. Regina Regnumq; Sueciæ reddat eam Prussiæ partem, quam hactenus occupatam possidet; ita tamen, ut Pillavia Electori Brandeburgico Duci in Prussia immediatè restituatur possidenda, eodem jure, quod ante hoc bellum habuit

IV.

In restituendis verò locis hoc observetur, ut exhibitâ Commissarijs Sueticis Sereniss. Regis Poloniæ Ratificatione, nec non interpositâ cautione Senatorum & Cõmissariorum Polonicorum, lege Comitiali ad latus Regis à Republica delegatorum, de tradenda primo quoq; tempore Reipub. Ratificatione, Mariæburgum cum Insulâ Majore, Stumâ Brunsbergâ ac Tolkemito cum eorum Territorijs, deductis præsidijs reddantur in manus Commissariorum Seteniss: Regis ac Regni Poloniæ; Höfftium verò & Iunkertreil, præsentibus Deputatis utriusq; partis, solo æquentur, suis cuiq; fundis & bonis relictis; & exercitus utrinq; abducantur, intra id tempus eoq; modo ac ordine, quo inter Generales utriusq; Partis convenerit. Elbingam verò cum pristino ejus territorio, atq; Insula minore ac munimentis

mentis ibi extructis, nec non Pillaviam cum eâ parte Neringiæ, quæ eò spectat, retineat Serenissima Regina Regnumq; Sueciæ, donec Ratificatio Reipubl. Polonæ subsecuta fuerit; quâ traditâ, illa quoq; loca intra dies quatuordecim deductis sine damno incolarum præsidijs restituat, hoc observato, ut fortalitia omnia Elbingæ extructa, relinquantur eo in statu, in quo nunc sunt, & eadem custodia, uti anti hoc bellum.

V.

Post restitutionem locorum omnium Vectigalia in eum mox reducantur statum, & in illud jus, in quo erant ante hoc bellum, servatâ in omnibus æqualitate, ubi antea fuit.

VI.

In Ljvonia utraq; Pars uti præteritis sexennalibus inducijs possedit, ita hisce quoq; possideat.

VII.

Sacra Regia Majestas ac Respublica Polona receptas in fidem suam civitates ac territoria eorumq; Magistratus, communitates, cives, incolas & subditos universos omni meliori modo indemnes præstet, ac eadem, quâ olim clementiâ & gratiâ prosequatur, foveat & tueatur, gaudeantq; universi & singuli possessionibus, iuribus, privilegijs consuetudinibusq; suis tam generalibus ac

com-

communibus, quàm ſpecialibus ſine exceptione, quibus ante hoc bellum gaviſi ſunt Præſertim verò civitas Elbingenſis in uſu ſigilli Terrarum Pruſſiæ, & conſueto ſeſſionis loco conſervetur, poſtquam debitum S. R. M. juramentum fidelitatis præſtiterit. Salvo manente libero in locis reſtitutis, uti ante viguit, Evangelicæ Religionis exercitio; manente quoq; libero Catholicæ religionis exercitio, in templo præſertim parochiali veteris civitatis Elbingenſis, uti ante bellum.

VIII.

Cunctæ actiones adverſus illos, qui partes Smorum Regum ac Reginæ Sveciæ quocunq; modo ſecuti ſunt aut ſecuti eſſe inſimulantur, cujuscunq; ſint ſtatus, & ordinis, ſive privati vixerint vel officio publico functi, ac ſervitijs Sereniſsimæ Reginæ Regniq; Sveciæ obſtricti fuerint, vel inſtituendæ vel inſtitutæ ceſſent, & ſi quæ intentatæ ſunt, tollantur, omniq; careant executione in perpetuum. Nec quisquam de ijs, quæ belli induciarumve tempore ex occaſione ejusdem belli vel induciarum interceſſerunt, cuiquam reſpondere teneatur, & ſi quid in contrarium ſuſceptum factumvè eſt, aut reſcriptum vel decretum aliquod in abſentia partis obtentum, id omne ſit irritum nulliusq; valoris.

IX.

IX.

Si cui aut quibus non placuerit in reſtitutis civitatibus aut territorijs manere, ſed potius mutato domicilio ad alios ſe conferre, liberum ſit in ſpatio trium annorum á datá præſentium numerando ſua divendere, alijs elocare, aut pro ſuo lubitu diſtrahere ſine ullo impedimento aut onere ſub quocunq; prætextu imponendo; ſalvis antiquis civitatum juribus & conſvetudinibus.

X.

Si qui Exulum, qui extra Sueciam apud Polonos verſantur, & partes Smornm Regum Poloniæ ſecuti ſunt, in Patriā redire quacunq; de cauſa voluerint, ſalvum quærant conductum, quo impetrato fruantur beneficio legum ac ſtatutorum Regni Sueciæ.

XI.

Acta, Iudicata ac Decreta cujuſcunq; fuerint Inſtantiæ vel judicij, inſcriptiones, Contractus, tranſactiones, aliaq; omnia (quæ ſtatui publico, uti is fuit ante bellum, non derogant, vel hiſce pactis per expreſſum non ſunt reſervata) belli vel induciarum tempore ſive Magiſtratuum autoritate & judicialiter ſive extra judicialiter geſta, firmum robur obtineant, æquè ac ſi priore rerum ſtatu omnia acta fuiſſent, nec ulla unquam regiminis & Magiſtratuum mutatio interveniſſet.

XII.

In locis, quocunq; tempore juxta pacta præsentia restituendis, relinquantur bonâ fide omnia mobilia Ecclesiarum, quæ in præsens reperiuntur, uti sunt vasa ac vestes sacræ, campanæ aliaq; ad usum ecclesiasticum servientia, tum libri Cancellariæ, Privilegia & Acta pnblica; Si quæ tamen temporum injuria à milite sunt direpta, aut aliorum negligentiâ corrupta, ulterior in id inquisitio non instituatur, nec quisquam ad restitutionem teneatur. Tormenta item bellica & bombardæ majores, quæ tempore occupationis inventæ fuerunt, & adhuc in restituendis civitatibus vel locis sunt, relinquantur.

XIII.

De ijs quæ durante bello, jure fisci cuiquam ademptá, & vel fisco illata, vel alijs donata sunt, ità convenit, ut Immobilia sive Regia & Reipbl. sive etiam privatorum sint bona, quorum donationes Vtrinq; factæ sunt, si donatarijs jam tradita sunt, antiquis possessoribus restituantur; Si verò nondum tradita, maneant penes Dominos. Cessantibus de cœtero omnibus quæstionibus actionibusq; ratione redituum sive expublicis sive privatis bonis perceptorum. Mobilium etiam donationes & largitiones utrinq; factæ, si ante has inducias executioni non fuerint demandatæ, irritæ sint; traditæ verò,

rò, possessoribus modernis relinquantur. Cessantibus quoq; eorum nomine omnibus actionibus irritisq; obligationibus, quibus apochæ authenticæ sive à Regum locumtenentibus, sive ab Officialibus Camerarum Regiarum, sive etiam ab ipsis donatarijs sine fraude datæ, dummodò de ijsdem donationibus per Authenticum instrumentū constet, solutionis factæ opponi possunt.

XIV.

Commercia pristina inter utrumq; Regnum & provincias subjectas restituantur, & in veteri exercitio conserventur, redeantq; omnia in eum statū, in quo ante hoc bellum fuerunt, ab omnibus novitatibus oneribusq; hoc bello inductis, vindicata.

XV.

Defluitatio mercium ex Magno Ducatu Lithvaniæ nullâ ratione in flumine Duna impediatur; sitq; ea in dicto flumine vectigalium ratio inposterum, quæ fuit ante hoc bellum.

XVI.

Subditi fugitivi Magni Ducatus Lithvaniæ & Ducatus Churlandiæ quicunq; in Livonia reperti fuerint, suis Dominis reddantur, quod vice versa de subditis fugitivis ex Livonia in Magno Ducatu Lithvaniæ & Ducatu Churlandiæ fieri debet.

XVII.

Exercitus omnes, exceptis præsidiarijs, tempore suprà definito, ab utraq; parte ex provincia deducantur: et quidem Sueticus per mare; si tamen Equitatui intra assignati temporis spatium trajiciendo navium copia non suppetierit, liber illi & innoxius transitus quam brevissimo itinere per terram in ditiones ipsorum, sine damno incolarum Regno Poloniæ mediatè & immediatè subjectorũ concedi debet. Quod itidem observetur, si aliqui pedites dicti exercitus Suetici dimissi fuerint. Iustitia verò per Præfectos indilata bonà fide administretur damnum & injuriam passis.

XVIII.

Injurias tam personales quam reales sub hasce inducias incidentes, una pars de altera non vindicabit, salvâ Iurisdictione ordinaria cujusq; partis, sed justicia ab Officialibus & Magistratibus competenter requiratur, eademq; indilata administretur, severæq; pœnæ in violatores pacis fide publicá roboratæ exerceantur; nullæq; repressaliæ aut arresta tam terrâ quam mari ratione cujuscunq; injuriæ, nisi Iusticia pluribus vicibus legittimè repetita non administretur, ad nittantur. Et si quæ ante hoc bellum sive etiam bello durante, concessa sunt, cassentur; ita tamen, ut quibus concessa sunt, justitia administretur.

XIX. Quod

XIX.

Quod si quid gravius inciderit, quod violationem pactorum concernere videretur, dentur utrinq; Commissarij, qui loco aliquo ad fines Livoniæ adsignando conveniant, & controversias exortas sopiant decidantq;.

XX.

Pro majore securitate,& ne quidquam hisce pactis contrarium, durantibus inducijs, à quoquam committatur, Ordines Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ promittant & fidejubeant, Srmnm Regem Poloniæ & ejus fratres eorumq; successores ac posteros, durantibus inducijs ex Regno Poloniæ, Magno Ducatu Lithvaniæ & omnibus eis subjectis provincijs ac ditionibus nihil molituros, multò minus hostile quidquam tentaturos adversus Srmam Reginam, ejus Successores Reges, Regnumq; Seciæ eisq; subjectas ditiones ac provincias, civitates, castra, munimenta ac territoria. Et si quidquam tentaverint, id impedire ac prævenire teneantur.

XXI.

Sacra Regia Majestas ejusq; Successores Reges ac Respublica Polona, adversus Sereniss: Reginam, ejus Successores Reges Regnumq; Seciæ, subjectasq; ditiones ac Provincias classe nullâ mariti-

mâ, nullisq; navibus utatur, vel alijs quibuscunq; auxilio submittat durantibus inducijs. Et Dux in Prussiâ, Dux Churlandiæ, & ex Statibus Regalis Prussiæ Civitates Majores, caveant, se non permissuros hostile quicquam ex portubus suis Reginæ Regnoq; Sveciæ, subjectisq; ditionibus ac provincijs illatum iri directè vel indirectè.

XXII.

Durantibus ac currentibus hisce inducijs agatur de pace perpetuâ, loco & tempore, interventuq; Principum Mediatorum, de quibus inter partes, curâ ac diligentia Illustriss: Ducis Churlandiæ convenerit. Ita tamen, ut si Tractatus pacis perpetuæ semel aut iterum non successerit, firmæ nihilominus & inviolabiles maneant Induciæ usq; ad exitum pactis hisce præfinitum.

XXIII.

Si qui Regum ac Principum Christianorum hisce pactis ex utraq; parte includi voluerint, sit ipsis ejus facultas, modo se ad ista intra quinq; abhinc menses declaraverint.

XXIV.

Vt hisce pactis firmius insistatur, certoq; constet, bonâ fide omnia servatum iri, hoc modo convenit, ut redditis utrinq; Procuratorijs Dnorum Commissariorum, pacta hæc manu & sigillo eorundem

dem roborentur & invicem tradantur. Tum ut Serm. Rex Poloniæ ſecundum præſcriptam formulam eadem quantocius confirmet, & antequam ullius locj fiat reſtitutio, ſuam confirmationem tradat: deinde ut Sereniſsima Regina Sueciæ ſolenni inſtrumento, Illa nomine ſuo ac Regni Sueciæ, per ſubſcriptionem Dominorum Regni Sueciæ Adminiſtratorum rata habeat. Et Reſpublica Polona eadem in Comitijs primo quoq; tempore celebrandis, ſolenniter adprobet, & confecto inſtrumento ratificet. Quæ quidem Inſtrumenta ſolennia ad formulam præſcriptam nulla voce aut ſyllabâ mutatâ, per utriusq; Partis Commiſſarios Deputatos quantocius poterit, ad limites territoriales inter Elbingam & Mariæburgum, ſine ullâ morâ & excuſatione reddi utrinq; ac recipi debebunt. Ad eundem modum Sermus Elector Brandenburg: Dux in Pruſsia, Dux Churlandiæ, & ex Ordinibus Regalis Pruſsiæ Civitates Majores literas ſuas Reverſales, quibus Securitati Sereniſsimæ Reginæ ac Regni Sueciæ cavebiter, ante reſtitutionem Elbingæ & Pillaviæ tradant. Actum Stumiſdorffij d. 2. Septemb. Styl. vet. Anno ſalutis Milleſimo Sexcenteſimo Trigeſimo quinto.